

cra ductis adversariorum conclusiunculas
articulatè refellere, ac penitus elidere no-
rat. Petrus Loriottus è vico Galliæ Arter-
na oriundus JCtus acutus, qui etsi in libris,
quos de jure scriptos edidit, ità angustis &
concisis disputationibus est alligatus, ut nisi
magna animi contentio adhibeatur, diffi-
culter possit intelligi: in schola tamen di-
scipulis suis, quæ in scriptis coarctaverat, &
per angustè referserat, adeò plane & aperte
verbis dilatabat, rerumquè exemplis ac-
commodatissimis explicans, sic reconditos
& penitus abstrusos legum Romanarum
sensus scrutabatur, excutiebatquè, ut vel
maximè discipulos, quos rudes primum ac-
cepisset, paucis deinde annis in jure erudi-
tos dimitteret. Itaque & auditorium illius
frequentabatur, & institutio à dissentibus
commendabatur imprimis. Joachimus Re-
ticus in Mathematicis disciplinis eruditus,
Geometrica Euclidis scitè & dextrè tractan-
do magnitudines, intervalla, lineamenta,
formas & dimensiones auditoribus suis uti-
liter explanabat. Cui ob dicam quam sibi
scriptum iri metuebat, Lipsiâ abeunti Jo-
hannes Homelius ea tempestate in Astrolo-
gia facile princeps subrogatus fuit. His
igitur & aliis horum similibus divinarum

Bb

huma-